



## **Svmma Juris Canonici**

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,  
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,  
pertinent

Ivrisdictione Ecclesiasticâ, & Iudiciis

**Strein, Johann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1658**

§. 7. De tempore appellationis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61847](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61847)

sentent. c. 1. de off. Legati, & ibi Pa-  
norm. Maranta actu 2. num. 371. Gerit  
enim vices summi pastoris, & concur-  
rit cum quolibet Ordinario in sua pro-  
vincia. In aliis causis eadem cum iu-  
re civili servanda regula est, ut gradatim  
fiat appellatio, nisi contrarium consue-  
tudine obtentum sit. c. Cum contingat.  
de foro compet. c. 3. §. ab Archidiacono eod. in  
6. Gaill. l. 2. observ. 219. n. 2.

Ratio diversitatis est, quia princeps  
secularis constituendo Iudices, in ipsos  
potestatem suam transfert, abdicando  
a se: quod à summo Pontifice regula-  
riter non fit. l. Imperatores ff. hoc tit. Felin.  
inc. super questionum. §. porro. de off. Iud. de  
leg. Berlich. Conclus. 5 n. 676.

III. Si laicus Iudex causam episcopo  
commiserit, ab illius sententia ad lai-  
cum, qui delegavit, vel eius superio-  
rem laicum fiet appellatio, si autem  
duo Iudices fuerint, Ecclesiasticus u-  
nus, & alter laicus, ad superiorem Ec-  
clesiasticum utpote digniorem dirige-  
tur appellatio. Maranta Par. 6. actu.  
2. n. 392.

Idem faciendum, si laicus, & cleri-  
cus simul fuerint arbitratores: reductio  
enim ad Ecclesiasticum fiet. Denique  
si in causa Ecclesiastica laicus pronun-  
ciaverit, se competetem iudicem esse,  
non ad Iudicem laicum superio-  
rem, sed ad episcopum pro-  
vocabitur. Maran. lo. cit.

n. 397. Card. Tuschus  
Conclus. 352.

## §. 7.

## De tempore appellationis.

I. **N**on eadem olim, quæ hodie tem-  
poris præfinitio est, ut videre li-  
cet apud Azonem in summa l. 7. Cod. n.  
63. Olim poterat quis in causa præ-  
pria appellare intra biduum, in causa a-  
liena verò intra triduum duntaxat, &  
non ultra. l. siquidem. s. biduum. §.  
dies. §. in propria. ff. Quando appellan-  
dum sit. l. Eof. 6. §. si autem. C. de ap-  
pellat.

Hodie est decendium, hoc est, de-  
cem dies à die latæ sententiæ, vel à die  
scientiæ, quo sententiam latam esse in-  
tellexerit condemnatus. Adque si ve ap-  
pellare velit à definitiva, si ve ab inter-  
locutoria, si ve à quocunque gravamine.  
Auth. Hodie. C. de appell. c. Quod  
ad consultationem. de sent. & re iud. c. Cum  
dilectus. §. fin. de elect. alex. Consil. 136  
Azol. cit. Cardin. Tuschus Conclus. 354.  
Soto l. 65. q. 6. art. 3. Roderic. Tom. IV.  
tit. 27. c. 2. n. 32. Tabien. v. appellatio. n. 3. &  
alii DD. communiter.

II. Prædictum tempus strictè obser-  
vandum est, nulla prorogatione, vel  
consensu partium vel Iudicis arbitrio  
permilla. Quam ob rem fatale à legi-  
bus appellatur. Est verò ab initio utile  
nec currit impedito, vel ignorantia, nisi  
sit verè contumax, sed postea efficitur  
continuum. l. 1. §. dies ff. Quando appel-  
landum. ita ut etiam feriæ solennes in-  
cludantur. l. 1. C. de feriis. l. si ve pars. §. feriæ.  
C. de dilationib. Silv. n. 5.

Limi.

Limita quo ad decendum primo, si gravamen, à quo appellatur, continuum sit, & habeat causam permanentem, cuiusmodi est incarceration, & excommunicatio, interdictum, & similia. Tunc enim semper conceditur appellatio.

Secundo cum quis citatur ad locum minus tutum. Toties enim, quoties citabitur, appellare potest. Si autem iudex interlocutus fuerit, locum tutum esse, carcerem iuste indictum, à die talis interlocutionis numerandum erit decendum & ultra non licebit. Iam vero, si intra fatale hoc tempus non fuerit interposita appellatio, lis mortua censetur, & sententia transisse in rem iudicatam. c. quod ad consultationem 15. de sen. & re iud. ubi Barbosa Felinus in c. cum sit Romana 5. de appell. Berlich. Concl. 35. n. 98. Piafec. p. 2. c. 4. n. 120.

III. Si tertius accedat, at pro suo interesse appellationi per alium interposita adherere velit, vel appellatio, nem absque mandato suo factam ratificare, idem decendi tempus observabit. c. ut circa de elect. in 6. Felinus in c. cum super num. 11.

Si autem prosequi tantum velit appellationem pro suo interesse, admitti, licet non appellaverit, debet. l. ab executoribus 4. §. 2. ff. hoc titulo c. cum super 23. de off. iud. del. g. Nam per appellationem suam principalis viam aperuit cuiuslibet cuius interest, ut de nova appellatione non sit cogitandum. Igitur cui animus & causa est appellationem prosequendi coram iudice appellationis, agere & deducere ius suum potest, non tunc

acsi ipse personaliter passus sententiam condemnatoriam esset.

Si quis autem à sententia contra principalem lata principaliter appellare velit, præterquam quod eodem tempore circumscribitur, causam exprimere debet, cur sua interesse putet à tali sententia appellare. l. 2. ff. de appell. Nam contra eos, qui præter consuetum iuris ordinem attentant aliquid præsumptio doli est, quæ per causam allegationem purgatur. c. non solem c. super eo de off. del. g. Panorm. ibid. num. 5. Felinus numero primo Innocentius in c. Veniens de testibus Gaill. l. primo observatioe 122. numero 5. Rodericus tomo 19. titulo, 27. c. 2. num. 15.

IV. Quod numero secundo dixi decendi tempus non esse prorogandum tam strictè accipiunt plerique, ut à puncto ad punctum, à momento ad momentum computari velint. Incipit nimirum ab illo momento, quo recitatur sententia & currit, usque ad ultimum momentum decenni. Quod etiam in Camera Spirensi observari Mynsing. notat. Cent. 6. obs. 12. monetque procuratores, ut coram iudicibus non semel, sed pluries de sua diligentia, & fatalibus non lapsis, vel labendis protestentur. Addit sigismundus Scaccia q. 22 numero 50. illum qui appellat in ultimo die debere exprimere horam diei, qua appellat, & num. 53. declarat id non procedere Romæ ex dispositione Bullæ Innocentii VIII. sub dato 14. Ianuarii Anno 1487. quia latis est appellare ultima die decendi, etiam si lapsum sit ultimum momentum.

Deni-

Denique hæc non sunt extendenda ad eos, qui propter absentiam, aut aliam causam ignorantiam laborant, nescientes diem ac momentum sententiæ latæ contra se, ut superius monui. V. Barbosa in c. Quod ad consuetudinem hoc titulo.

## §. 8.

## De Apostolis.

I. Apostoli à Græcis vocantur missi Annuncii, præcursores, apud Demosthenem apparatus classium, & expeditiones, inuoluptati eo nomine afficiunt literas demissorias, quas iudex à quo appellatum est, ad iudicem appellationis transmittit, in testimonium & fidem appellationis factæ. *l. demissoria ff. de verb. significacione l. unica ff. de libellis dimissor. c. cordi hoc titulo in 6. Maranta par. 6. tit. de appellat. num. 215. Glo. in c. ut. V. perat. Non intelligas, inquit, de Apostolis Petro, & Paulo, sed de literis dimissorias.*

Addit deinde à speculatore quinque Apostolorum species numerari, conventionales, testimoniales, delatorios, refutatorios, & reverentiales.

Verum hodie non nisi tres in frequentiore usu sunt, demissoria, scilicet, reverentiales, & refutatoria. Demissoria sunt literæ ad iudicem appellationis directæ, quibus indicatur appellatio facta, & modus illius, reverentiales non propter causæ iustitiam, sed superioris iudicis reverentiam delatum esse appellationi significant, Refutatoria indicant appellationem non esse admittam, addita causa, cur admittam non sit. *l. finali §. in refutatoriis C. eod. l. penult.*

*ff. de appellatione non recipienda l. quoniam iudices C. eod. Glossa in V. exhiberi c. cit. Cordi. Roder. como quarto titulo 27. cap. tertio numero 40. & sequentibus Tuschus conclusionem 427.*

II. Pro Apostolis petendis, recipiendis, ac iudici ad quem exhibendis olim quinque dies constituti erant. *Paulus quintus sentent. titulo 24. c. ab eo 2. questione 6. intra quos dies de iure canonico instanter, ac sæpius saltem uno contexta petendi erant. Postmodum vero præscripti sunt 30. dies, intra quos prædicto modo peterentur. Id si intra præfatum tempus non fiat, deserta appellatio censetur. c. ab eo citato. Clement. quamvis hoc titulo l. iudicibus. 24. C. eod. l. un. ff. de lib. l. demissor. Si autem iudicis à quo culpa non expediantur Apostoli, adversus eum protestatio fieri potest *de Clem. quamvis. Quin etiam post elapsum tempus iudicem à quo apud iudicem appellationis propter negligentiam, vel malignitatem convenire licet. l. si appellationem 31. C. eod. Tuschus loco citato Brechier. in process. iudic. pagina 68. Tholosanus l. 50. Syntagmat. c. secundo numero. 28. & sequentibus. Practica Ferrar. in § forma appellat. pagin. 197. & seq.**

III. Prædictum tempus 30. dierum pro Apostolis petendis currit à die scientiæ, quo sententiam esse latam condénatus intellexit ( nisi per procuratorem esset defensus) & à quo habuit potestatem appellandi; alioqui ignorantibus præcluderetur tempus petendi Apostolos, quibus tamen non est præclusum tempus appellandi.